



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43vb-44ra
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 22 quaeritur de ignorantia utrum excuset peccatum.

Iuxta quod sunt tria videnda. Primo qualiter ipsa rationem peccati habeat ; secundo quot modis potest ignorantia dividi; tertio ostenditur quae ignorantia excuset et quae non.

Quantum ad primum sciendum quod in hoc differunt nescientia et ignorantia, quia nescientia dicit simplicem negationem scientiae. Unde cuicumque deest scientia ipsarum rerum, illas dicitur nescire secundum quem modum Dionysius ponit, sexto capitulo, De caelesti hierarchiae, nescientiam in angelis. Ignorantia vero dicit scientiae privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quae aptus natus est scire. Eorum autem quae homo aptus natus est scire quaedam sunt ad quae tenentur, sicut illa sine quorum scientia non potest actum debitum exercere. Hoc modo omnes tenentur scire ea quae sunt fidei, et universalia iuris praecepta, singuli autem tenentur scire ea quae ad sua officia pertinent. Quaedam autem sunt quae et si natus sit scire, tamen ad ea non tenentur, sicut principia geometriae et futura contingentia. Verum est autem quod quicumque negligit facere vel scire ea quae facere vel scire tenentur, peccat peccato omissionis. Et ideo per negligentiam, ignorantia eorum quae quis scire tenentur, est peccatum. Et quia homini non imputatur ad negligentiam, si nescit ea quae scire non potest, quorum ignorantia invincibilis dicitur, cum talis ignorantia non sit voluntaria. Ideo illa ignorantia non est peccatum. Ignorantia autem vincibilis si sit eorum quae homo scireretur, est peccatum si nescit. Et sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod divisio ignorantiae potuit sumi tripliciter. Uno modo ex parte ipsius scientis; secundo ex parte scibilis; tertio ex ordine ignorantiae ad actum. Ex parte scientis sic sumitur divisio ignorantiae, quia quaedam est ignorantia, quae est in potestate scientis, quando scilicet aliquis ignorat aliqua quae posset scire, si vellet, et illa dicitur ignorantia vincibilis. Alia est quae non est in potestate scientis, quae dicitur ignorantia invincibilis, quae autem est in potestate scientis quae dicitur vincibilis, contingit in aliquo esse dupliciter: quia illud quod ignorat vel est in potestate eius quo ad suam causam, licet non in se; sicut ignorantia ebrii; quia ebrietas quae est causa ignorantiae bene fuit in potestate hominis; licet non ignorantiam consequens, cum tunc usum non habeat rationis. Aliquando illud quod ignorat in se est in potestate hominis, sicut ignorantia geometriae.

Secundo sumitur divisio ignorantiae ex parte scibilis, quia quaedam est ignorantia eius quod quis scire tenentur; et hoc secundum Philosophum dicitur ignorantia universalis, /44ra/ sed secundum iuristas dicitur ignorantia iuris; et ista variatur in diversis secundum quod quidam tenentur scire aliqua quae alii non tenentur scire, ut dictum est. Quaedam vero est ignorantia eius quod quis scire non tenentur quae dicitur ignorantia particularis. Et secundum iuristas dicitur ignorantia facti. Et hoc est ignorantia particularium circumstantiarum in actu.

Tertio sumitur divisio ignorantiae ex ordine ad actum sic. Quaedam enim est ignorantia quae est causa actus, ut quando aliquis ignorans aliquid operatur quod si non ignoraret illud non faceret; et talis dicitur per ignorantiam peccare, cuius signum est poenitendo in actu. Quaedam vero est ignorantia, quae non est causa actus, sed per accidens se habet ad actum, ut quando aliquis credit bene facere et male facere. Si tamen sciret quod male faceret, adhuc faceret illud utpote aliquis credens accedere ad uxorem suam, accedit ad alienam, ad quam tamen accederet, si sciret eam non suam. Et talis non



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43vb-44ra
transcribed by Andrea Colli

peccat per ignorantiam, sed ignorans, ut dicitur III Ethicorum. Alia est ignorantia quae ad affectum peccati consequitur, ut propter vehementiam concupiscentiae, quam non reprimit voluntas, absorbetur iudicium rationis in particulari operabili, ut dicitur VI Ethicorum, quod delectatio corrumpit existimationem prudentiae: et ista est ignorantia electionis, secundum quam omnis malus dicitur ignorans. Hiis visis patet ad tertium, quod illarum ignorantiarum quaedam excusant ex toto peccatum, quaedam alleviat in parte. Quaedam vero nec in parte alleviat nec in parte excusat, nec etiam peccatum auget vel minuit.

Ad cuius evidentiam sciendum quod cum malum involuntarium in eo quod huius non sit peccatum, non habet ignorantia excusare vel diminuire peccatum nisi ut ipsa causat involuntarium nullo modo peccatum diminuit nec excusat. Illa autem ignorantia, quae est causa actus, quia aliquo modo habet causare involuntarium, ideo talis ignorantia excusat peccatum quandoque in toto, quandoque in parte, quia si ignorantia illa sit talis quod nullo modo habet rationem culpae in eo quod ignorantia, tunc excusat peccatum in toto, sicut est ignorantia invincibilis et ignorantia particularis circumstantiarum ad habita tum debita diligentia. Si autem ignorantia sit talis quod rationem culpae habeat, tunc talis ignorantia excusat a tanto non a toto. Quia scilicet in quantum est ignorantia excusat, quia hoc modo habet quod involuntarium esset, in quantum vero culpa est, non excusat. Quia secundum hoc rationem voluntarii retinet, et ideo ignorantia universalis, quae est eorum quae quis scire tenetur, excusat a tanto non a toto. Similiter ignorantia universalis sive secundum causam sit vincibilis sive secundum se sit vincibilis excusat in parte non a toto, si tamen rei licite operam dedit quando ignorantiam incurrit: si enim aliquis quando ignorantiam incurrit dedisset operam rei licitae moderate, ignorantia sequens, per consequens omnino excusaret, sicut patet in illis qui propter exercitium operarum spiritualium amentiam et fatuitatem incurrunt. Et sic patet quae ignorantia excusat et quae non.